



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Fructus caritatis in pauperes. ibidem

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

1623. oportere se infra omnes abici; & nullo loco reputari; Sed alia est de humilibus Dei cogitatio.

Vice-Prouincia in  
Prouincia  
erecta.

V. I. Tertium iam annum Societas Anglicana sub Vice-Prouinciae nomine militarat, cum *Mutius Generalis* candem in Prouinciam erexit, his ad *Blondum Româ* datis literis. "Cum Dei benignitate numerus subditorum ad Vice-Prouinciam Anglicanam pertinentium ita auctus sit, & inter hos tam multisint Patres Professi, qui vti virtute & doctrina alijs non concedunt, ita etiam numero plures Prouincias exequant, iamque tandem præter domicilia in Belgio stabilita, alia etiam in ipso Anglia regno sint instituta, spesque sit alia quoque deinceps instituenda, visum tandem fuit, expensis rationibus nomine Congregationis nuper isthie factæ mihi propositis, satisfacere iusto desiderio optimorum Patrum quorum in tantis periculis tantum est in Dei gloria, & proximorum salute querenda studium, & portionem illam Societatis, quæ huc usque Vice-Prouinciae nomine censita est iustam Prouinciam constituere, eique V. R. Praepositum Prouinciale præficere, vti facio literis Patentibus, quas una cum hisce eidem tradendas spero. Diuina Prouidentia faciat vt cum hoc nominis incremento in omnibus studium propriæ salutis & proximorum ita augatur, vt fructus quos huculque Socij copiosissimos in Vice-Prouincia collegerunt, longe adhuc copiosiores in posterum colligant. Ad quod cum plurimum R. V. caritatem & prudentiam conferre posse sciam precor benignissimum *Iesum*, vt studia conatusque eius omnes, vberioris gratia sua præsidijs prosequi dignetur: &c. Romæ vigesimo primo Ianuarij 1623.

Et certè tum nouo huius splendore nominis excitatis Patribus, tum per Hispanici coniugij continuatam tractationem metu persecutionis facto leuiori, & Sociorum numerus ad quadraginta octo supra ducentos excreuerat, & creptorum ex haeresi ad duo millia sexcentos: quin & nostrorum exercitia fuere liberiora: nam in domo Probationis Sancti Ignatij (quæ Londini fuerat anno altero proposita) Tyrones Sacerdotes septendecim Societatis rudimentis instituebantur, & in Collegio Beati Aloysij saepius conuenire licuit, & omnia ad Collegiorum normam exigere, tempora, cubilia, mensam, & dominicis festisque diebus magno vicinorum concursu perorare. In reliqua verò Insula non legniter nostrorum cæteri in opus incubuere, & fructus tulere quos diuina miseratione conatus semper anterior, vberes subministrat.

Tyrones  
17. in do-  
mo S. Ig-  
natij Lon-  
dini.

Fructus  
caritatis in  
pauperes.

In pauperes quidam naturâ atque in miserios benignus, omnem præterea humanitatem videbatur exuisse vitis immersus; quem cum multi ab annis sat multis retrahere conati fuissent, id is opere ipso ostendebat, quod oratione quandoque profere non verebatur, sed neque Deum credere, neque metuere dæmonem: Spes igitur hoc monstrum hominis ad mentem reuocandi quæ esse potuit? qui cum maxime vrgerebatur ratione, magna animi vocisque contentione clamabat, neque iciunare, neque orare, neque omnino dolere se posse.